Pius PP. IX

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem. Oblata Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Josephi Bauer laici et Emiliae Hambur-
ger Mulieris Leopolien. Dioecesis petitio continebat quod ipsi qui ut asserunt ex honestis familiis ac Orthodoxae fidei cultores vere existunt ac sub obedientia Sanctae
Romanae Ecclesiae vivunt vivereque et mori intendunt ex certis peculiaribus rationabilibus causis animos eorum moventibus et praesertim ad consulendum curae et educationi
eorumdem Exponentium respective filiorum cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Sed quia alias praefata Emilia cum quondam Rodolpho fratre germano ad praesens de-
functi uxor extitit desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione. Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt
Exponentes praedicti ut sibi in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Exponentes attentis extraordinariis
circumstantiis Nobis notis specialis gratiae favore prosequi volentes ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censu-
ris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum
serie absolventes et absolutos fore censentes certam tamen de praemissis notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni Tuae de qua plenam in
Domino fiduciam habemus per praesentes Committimus et Mandamus quatenus deposita per Te omni spe cujuscumque muneris aut praemii etiam sponte oblati
a quo Te omnino abstinere debere Monemus de praemissis Te diligenter informes et si per informationem eandem ac personis fide dignis rite ac recte examinatis ca-
nonice habitam easdem preces veritate fulciri ac omni mendacii et fraudis suspicione prorsus remota niti compereris super quo Conscientia Tua graviter onerata remaneat
Cum eisdem Exponentibus dummodo dicta Emilia propter hoc rapta non fuerit ipsique Exponentes Orthodoxae fidei cultores vere existant ac sub obedientia Sanctae
Romanae Ecclesiae vivant vivereque et mori intendant ut praedicto quod impedimento **Primi** ex praemissis proveniente **Affinitatis** gradus hujusmodi ac Constitutionibus
et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere illudque in facie
Ecclesiae solemnizare ac in eo postmodum remanere libere et licite valeant Auctoritate Nostra si pro Tua prudentia et Conscientia ita in Domino expedire judicaveris
ex gratia speciali dispenses Prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando. Volumus autem quod si Tu spreta monitione Nostra hujusmodi aliquid muneris
aut praemii occasione dispensationis praedictae exigere aut oblatum recipere praesumpseris excommunicationis sententia tamdiu innodatus existas donec a Sede praedicta absolu-
tionis beneficium per satisfactionem condignam merueris obtinere et nihilominus dispensatio a Te facienda praedicta nullius sit roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum
Petrum sub Annulo Piscatoris Die 1.a Februarii MDCCCLXI Pontificatus Nostri Anno Quinto Decimo

Expensae sunt Duodecim Bol. 25 [illegible]
[illegible]
Petrus Alessandri [illegible]

Pro Magistro Brevium
L. Dodi Offlis Deptus

PIUS IX. PONT. MAX.

Marius Card. Mattei Prodat.

F. Vici Subdat.

A. Valignani

465/561

Dilecto Filio Officiali
Venerabilis Fratris
Archiepiscopi Leopoliensi

Dypl. 565